

EMBLEMA XCII.
 REX BELLIS INTERSIT.



*Arma cient Reges debellatura Tyrannos,
 Sed populus teclis, Rege manente, manet:
 Ut longè à teclis Apis ingeniosa recedat,
 Ipse prior Princeps cerea castra movet.*

COMMENTARIUS.

S AT scio inter Politicos disceptatum, an expediens conveniens ve sit, Reges, & Principes penès quos rerum summa versatur, bellis offensivis, vel defensivis, quæ extra, vel intra Regnum inferri, suscipive contigerit, personaliter interesse? Et in utramque partem, tot rationibus, testimoniis, & exemplis (a) certari, ut Thesis hæc possit inter problematicas recenseri.

2 Ceterum siquid in me est iudicii (quod exiguum esse cognosco) ut nec semper, nec facillè, nec temerè se huic discrimini debere exponere censeo, præsertim hoc tempore, ubi tot sulfureis ad præliandum machinis, & tormentis excogitatis, vigor virtusque militaris, etiam Heroicis pectoribus insita, glandis icu prostermitur, & Regis quivis ardor à gregario quovis milite solet extinguì, ut nuper in Adolpho Suecorum Principe vidimus, quem in orbis imperium, sive flagellum, ut Alexander, & Attila, natum, plures augurabantur. Ita verecundandum, atque erubescendum in Regibus ipsis existimo, si onus, & munus, quod est veluti Regali dignitati connatum, semper absque gravi, & urgenti causa alienis humeris superponant, & ingruentibus bellis, maximè ubi intra proprias proximasve provincias geruntur, se acriter, & ala-

(a) Onosand. in *Strategi* cap. 4. Ferret. de re mil. pag. 15. num. 30. Canonh. in *Tacit.* lib. 1. pag. 199. Castellæ. de *offic. Reg.* lib. 2. cap. 32. Junius *quest.* 72. Pet. Greg. de *Repub.* lib. 2. cap. 4. num. 3. Ritch. *axiom. Pol.* 424. Stephan. Menoch. lib. 3. cap. 11. Boter. de *rat. stat.*

lib. 3. pag. 57. Velazq. de *optim. Princip.* pag. 508. Contzen. lib. 10. cap. 23. Vernul. *dissert.* 4. Saaved. *Emp.* 86. ex pag. 644. Coning. in *Theat. Polit.* 3. part. cap. 12. Berneger. ad *Tacit. quest.* 70.

riter non accingant, Ducesque, & Imperatores suis se exercitiis præsentent, diademate deposito, galea ornati, qua manu sceptrum domi, eadem gladium bello sustineant.

3 Reges enim olim Duces in bellis fuisse, & ob hanc causam creati coepisse, præclare Aristoteles (b) docet, & Regum Sacer liber (c) nobis ostendit, ubi cum Israeliticus Populus Regem, sibi à Deo per Samuelem præfici postulavit, his verbis voti sui rationem exposuit. *Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque, sicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Quorum desiderio cum Deus annuisset, Samueli præcepit (d), ut Saullem in Regem eligeret, inquit, *Unges eum Ducem super Israel,* sic indicans, hoc præcipuum ejus officium, & exercitum esse debere, quo quidem cum utitur, & ut Divus Chrysostomus (e) inquit, quando in campis iens, vultu & honore ultimus, periculis primus, onustus ferro, gravis armis, pro patria, pro civibus, pro libertate, pro vita omnium premit hostem, discrimina dispicit, contemnit vulnera; Gloriosior est, quàm quando indutus purpura, diademate decoratus, aspersus auro, in sublime solium conscendit, & togata pompæ deservit.

4 Et in hanc sententiam, sub prædictis cautionibus, & ea etiam, Rex ut pugna periculis se non exponat, sed pugnantis proximus, tutum seligat locum, ex quo eos sua præsentia, & calore ad præliandum accendere, & consilio juvare possit, omnes ferè Auctores conveniunt. Inter quos Dionysius Carthusianus (f), totum hoc prudentium consiliariorum iudicium relinquendum concludit, & dato, quòd expedire resolvant, oportere Principem bello personaliter interesse. *A Duce exercitus, & fortioribus, fidelioribus, ac peritioribus militibus, ac pugnatoribus tantò diligentius, ac robustius esse custodiendum, ac protegendum, quanto ejus ruina esset communitati nocentior.* Ipsumque etiam Principem debere, sui animi altitudinem temperare, atque immoderata se refrænare audacia, ne periculis se ingerat incautè, maximè propter bonum commune attendens, quòd pellis sua non sit durior aliorum, aut spissior, sed frequenter tenerior.

5 Petrus autem Gregorius (g), post longam ejusdem questionis examinationem, sic habet, *Arbitraret tamen conducere Reipublicæ in præliis in quibus de universo Principatu contenditur, non longè ab exercitu Principes esse debere, ut omnia, quæ ad bellum necessaria sunt, & ad imperandum facilius exequi possint: & unde possint, si malè cum exercitu agatur, tuto in securiora, iterum pugnaturi, se recipere.* E novissimus Alexander Cassaneus (h), postquam pluribus docuit, multum honori, multum dignitati suæ detrudere Principem, qui omnia per alios agit, & addicata cura rerum suarum, apud alios jus potestatis suæ sequestrò ponit, inani tantum nomine retento, ita de ejusdem cura, & interessentia in rebus bellicis habet. *Ut non decet Principem instar gregarii militis manu semper decertare cum hoste, si bellum imminet: ita procul ab exercitu suo degere non expedit. Ne quantum securitati suæ concedit, tantum famæ, & existimationi suæ detrahat.* Et statim suum Regnum Ludovicum XIII. valdè, etiam in tenera ætate, hoc documentum observantem, collaudans, addit ex Poeta.

*Sic cunctos vera juvabit
 Gloria, nec duri tanto sub teste labores,*

6 Egoque dum cupio Emblemate aliquo hanc doctrinam adumbrare, mente, Scacorum sive latrunculorum rabulam, *Palamedæam* dictam, conceperam, iniqua, ut *Polidorus Virgilius* (i), & alii (k) considerant, tota militaris disciplina describitur, Regesque ad pugnam, benè à suis munitis, & constipatos exire videmus, eumque Imperatoris nomine condonari, qui superior evasit, Regemque adversæ partis omnibus suis militibus spoliavit, ipsumque ad incitas redegit, hoc est ad eum locum, ut amplius cieri, moverique nequeat, quem nos *Scacum mattum* vocamus Unde & Proverbio (l) locus, *Ad incitas, vel ad incita* redigere, pro ad extremas metas compellere, & aliquem in summam desperationem adducere.

7 Sed postea magis placuit hoc, quod nunc figuratum exhibeo, ab Apibus sumptum, quam ea est natura, ut nunquam in bellum prodeant, nisi suo Rege præcedente, ut *Plinius* (m), *Ælianus* (n), *M. Varro* (o), *Xenophon* (p), & alii plures Auctores testantur, & pulchrè *Virgilius* (q) qui hunc morem, & amorem Apum suo Rege sequendo, & tutando, sic celebrat.

Tum trepidæ inter se coeunt, pennisque coruscant,

Spi-

(b) Arist. 3. *Polit.* cap. 11.

(c) 1. *Reg.* 8. 20.

(d) 1. *Reg.* 9. 16.

(e) D. Chrysost. *hom. 5. de feria 6. Passio.* apud Velazquez. *sup. pag.* 510.

(f) Dion. Carthus. de *vita & regim. Princip.* lib. 3. cap. 50. pag. 733.

(g) Petr. Gregor. de *Repub.* lib. 11. cap. 15. num. 5. Benerger. *dict. quest.* 193. quem vide.

(h) Alexand. Cassan. in *axiom. Polit.* cap. 10. pag. 71.

(i) Polid. *Virgil. de invent. rer.* lib. 2. cap. 13.

(k) Proc. apud Souterium de *ludis lib.* 1. pag. 22. *Convar. in Theat. ling. Hispan. verb.* Axedrez.

(l) Erasm. in *hoc adagio.* pag. 383. Suoter. *dict.* cap. 22.

(m) *Plin.* lib. 9. cap. 17.

(n) *Ælian.* lib. 5. cap. 11.

(o) *Varr.* lib. 3.

(p) *Xenophon. in Cyr. pad. lib.* 5.

(q) *Virg.* 4. *Georg.*

Spiculaque exacunt rostris, aptantque lacertos,
Et circa Regem, atque ipsa prætoria dense
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem,
Præterea Regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes,
Observant. Rege incolumi mens omnibus una est,
Amisso, rupere fidem, construatque mella
Dirupere ipsæ, & crates solvere favorum:
Ile operum custos, illum admirantur, & omnes
Circumstant fræmitu dense, stipantque frequentes,
Et sæpè atollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulcramque petunt per vulnera mortem.

8 Divus quoque Basilius (r), adhuc ceteris clarius, sic habet: *Nature lex est apibus innata, Fratres dilectissimi, ut nisi Rex prius agmen præcedat, ab alvearibus nusquam discedant.* Et Pierius Valerianus (s) inquit, eos, qui populos Regi suo obsequentes, illumve sequentes, ostendere volunt, examen apum proponere consuevisse, *Siquidem is foras non procedit, nisi migraturo examine, cumque procedit, totum examen circa cum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur reliquo tempore.*

9 Et quidem, licet Israelitæ periculo Davidis commoniti, ne Rex deinceps ad bellum exiret peculiari lege sanciverint, ut in libro Regum (t) habetur, & præter alios Sabellius (u) memorat. Idemque, ut *Cærenus narrat*, Chaganus Persarum Rex suis successoribus statuerit, dedecoris impatiens, dum se à Tiberio superatum, & malè habitum vidit, quibus exemplis alia Beyerlinchius (x) adjungit, negari tamen non potest, Regum præsentiam plurimum in bellis conducere, tum ad accedendum militum animos, tum ad alia multa, qui eis præsentibus facilius consuluntur, & resolvuntur, & ad pudorem ceteris incutiendum, qui ipsos se ejusmodi periculis offerentes, non comitantur.

10 Unde adeò frequens apud varios Auctores Alexandri, Cæsaris, Catonis, Trajani, Titi, Constantini, Theodosii, & aliorum Imperatorum ob similem ardorem bellicum commendatio, (ut nostros Reges Ferdinandos, Alfonsos, Sanctios, Carolosque præteream) & suasio Xenophonis in Hipparchico ad Reges, *Videant equitantes Principem, & fossas transilientem.* Claudianus (y) etiam Honorii Imperatoris patrem inducens, filio præcepta dantem, qualiter se ad bella parare deberet, post alia, hanc in illis præsentiam ceterisque militibus exemplarem virtutem, & tolerantiam, his carminibus persuadet.

*Inventis utere cibus, solabere partas
Æquali sudore tuas, si collis iniquus;
Primus tui, Sylvam si cedere provocat usus,
Ne pudeat sumpta quercum stravisse bipenni,
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
Præteret sonipes, fluvios tu protere curru,
Herentes glacie; liquidos tu sciende natatu,
Nunc eques in medias equitum te consere turmas,
Nunc pedes assistas pediti, tum protinus ibunt
Tesocio tu conspicuus gratus que geretur,
Sub teste labor.*

11 Claudiano similis Sidonius Apollinaris (z), idem in Majoriano Imperatore commendat, inquiens.

*Sic agmina voce
Erigis, exemploque levas, primusque labores
Aggrederis quoscumque: Tum cetera parat
Turba libens, servit propriis, cum legibus auctor.*

12 Estque ita vera, ut communis, apud varios Auctores hæc sententia, tam in militaribus, quam in reliquis ministeriis, officiis, & exercitiis, subditos sui præsentia, ac conspectu mirum in-

(r) D. Basil. in homil. de S. Gord. Martyre.
(s) Pier. lib. 26. fol. mibi 185.
(t) Reg. 2. 21. 17.
(u) Sabell. lib. 9. Enead. 1.

(x) Teat. vit. human. lit. B. pag. 77.
(y) Claud. in 4. Consul. Hon.
(z) Sidon. in Panegy. Majoriani.

in modum excitari. Quintus enim Calaber (a) sic habet, *Longe melius viri in opus incumbunt, cum Reges in conspectu habent.* Et Plinius Junior (b) in subditis sui Trajani hanc felicitatem commendat, his verbis. *Felices illos, quorum fides, & industria non per internuntios, & interpretes, sed ab ipso te, nec auribus tuis, sed oculis probantur.*

13 Annibal quoque apud Titum Livium (c), hac consideratione, ita suos milites adhortatur. *Nemo vestrum est, cujus non idem Ego virtutis spectator, & testis, notata temporibus locisque referre possim decora.* Et apud Ammianum Marcellinum (d) signifer quidam Julianum Imperatorem alloquens, idem ostendit, dum dixit. *I prævius, ut faustus Antesignanus, & fortes experieris, quid miles sub conspectu bellico sui ducis, testisque individui gerendorum, modo adsit supremum Numen, bis rebus efficiet excitatus.*

14 Flavius item Josephus (e), valdè in rem nostram, Imperatorem etiam non militantem, sed solum spectantem, suos milites animosiores reddere, de Tito in obsidione Hierosolymitana loquens, sic docet. *Cum autem ipse quoque in armis esset, unàque descendere statuisset, amici eum propter periculi magnitudinem, ducumque dicta continuerunt: plus enim operis eum, in Antoniana præsentem, militum certamini facturum esse dixerunt, quam si periculum subiisset. Omnes enim fore sub oculis Imperatoris optimos bellatores, & iterum melius (f). Romanos hortabatur consuetudo vincendi, & quia vinci non assueverant. Ante omnia verò Titus, semper, ubique presens. Nam & inertia, spectante atque opitulante Cesare, gravissimum facinus videbatur, & ei qui bene decertasset, testis aderat, qui rependeret præmium. Præterea fructus erat, vel cognosci solum Principi virum fortem: idcirco multorum major viribus alacritas demonstrata est.*

15 Et Cassiodorus (g), Vitigem Regem suos Gothos, hac consideratione hortantem, sic inducit. *Amare novimus viros fortes, qui sæpè bella peregrimus. Additur, quòd unicuique virtutum vestrarum testis assisto. Ab alio enim mihi non est opus facta vestra narrari, quia omnia vobiscum laboribus sociatus agnovi.*

16 Meliusque adhuc Synesius Cyrenensis Episcopus (h), Homerum allegat, qui quemdam ex diis, Græcorum certamini præsentem inducens, sceptri percussione implebat militantes Juvenes, eorumque accendebat animos.

Robore forti

Majori pugnae, furerent, & Martis amore

Pes infra supraque manus, jam sponte cientur.

Et subdit, hoc planè facturum Imperatorem, si nominatim suos appellet, & vel eum qui classici clangore non movebitur, ad gloriæ studium inflammaturum. *Nemo enim (inquit) est, qui non coram Rege strenuè laborem velit suscipere, & quisnam sanguini pepercerit, qui se à Rege audierit commendatum?*

17 Quibus accedit, ex Regis in bellis præsentia, non solum suorum militum animos instigari, verum & hostium, ex adverso, ita consternari solere, ut solus hic nuntius ad eos debellandos sufficiet, ita enim apud Arrianum (i), Memnon Rhodius monuit, *Non esse cum periculo confitendum cum Macedonibus, qui & peditatu superiores essent, & presentem haberent Alexandræ, ipsi verò Dariam absentem.* Et Constantini Panegyristes (k), ad primum (inquit) aspectum Majestatis tuæ, primumque impetum totius tui victoris exercitus, hostes territi, fugatique. *Quem sequutus Constantius apud Ammianum (l), in simili ait, Ita pavore torpescent, ut nec oculorum vestrorum vibratae lucis ardorem, nec baritum sonum perferant primum.*

18 Et Latinus Pacatus (m), de suo Theodosio agens, adversus Maximum Tyrannum sibi rebellem castra movente, sic habet. *Et quidem Imperator Auguste, ad asserendam Rempublicam, usurpandamque victoriam suffecisset, in bella, vel solum, venire. Nam si olim domini adversus rebelles servos dimicaturi, flagra in aciem detulerunt, tantaque vis conscientie fuit, ut ab inermibus verterentur armati, & qui obtulerant mortibus peiora, darent terga verberibus: nonne tu quoque, legionibus ociosis, rem totam visus egisses? An sustinere te coram, & solum oculorum tuorum ferre conjectum, ille quondam domus tue negligentissimus vernula, mensularumque servilium statarius lixa potuisset? &c.*

19 Undè, referente Plutarcho (n), Antigonus, hos, & alios effectus, quos præsentia Principum in bellis operatur, agnoscens, cum Navale olim prælium contra Ptolemæi duces pararet, Gubernatori classis suæ trepidanti, & multitudinem hostilium navium causanti, respondit, *Me verò ipsum præsentem, cum quod comparas?*

Bbbb

Et

(a) Q. Calab. lib. 12.
(b) Plin. Jun. in Paneg.
(c) Liv. dec. 2. lib.
(d) Ammian. lib. 26.
(e) Joseph. de Bell. Jud. lib. 7. cap. 15.
(f) Idem lib. 6. cap. 8.
(g) Cassiod. lib. 10. epist. 31.

(h) Sines. in orat. de Regno pag. 13. & 14.
(i) Arrian. lib. 2.
(k) Nazar. in Panegir. Const.
(l) Ammian. lib. 21.
(m) Pacat. in Panegir. ad Theod.
(n) Plutar. in apophth. Antigon.

20 Et Petrus Andreas Canonherius (o) rectissime animadvertit, quemadmodum medici suo aspectu vires ægrotis adaugent, omnemque timorem, quem illi ex morbo conceperant, excutunt: sic Principum aspectu, milites, & tribuni metum exuunt, viresque hostium maximas contemnunt. Adducitque in hujus Aphorismi comprobationem Natalis Comitibus verba, qui referens historiam bellii Germanici anno 1546 ab invictissimo Cæsare Nostro Carolo V. Maxim. contra Saxoniam Ducem Lantgravium Assia, & alios Protestantes feliciter acti, sic habet. *Cæsar interea recognoscit, ut Albanus copias instruxerat, ipse armatus in equo, nunc ante suam turmam consistit, nunc Germanos, nunc Italos, nunc Hispanos, ut sint forti animo hortatur, qui mira virtute hostium conatus, cum viderent adesse Cæsarem contemnebant. Plurimi enim refert in difficultatibus summi Imperatoris presentia, qui verè est Anima exercitus, & robur militum: neque aliud est, quod possit tantopere ad gloriam, & ad honoris desiderium milites excitare, quam si cognoverint, non in obscuro loco rem agi, sed in conspectu ipsius Principis, & universi exercitus, inque multorum populorum presentia.*

21 Et verè, cum Deus, quos ad Solii Majestatem exivit, peculiaribus auspiciis, & auxiliis prosequi solet, ut latè novissimus Joannes Henricus Boeclerus (p) integro de his auspiciis edito tractatu demonstrat, quò & respiciens Tacitus (q) dixit, *Solere populos adversus fortuita aspectu Principum refoveri, & Crispinus apud Stobæum (r), Regis vel solus sæpè aspectus sufficit.* In auspiciata quodammodo ea prælia censerì poterunt, quæ ipsis absentibus committuntur, ut idem Boeclerus (s) ex Macedonum exemplo, à Justino relato, deducit, qui cum ab Illyriis prælio pulsi fuissent, Rege suo in cunis prolato, & ponè aciem posito, acrius certamen repectivere, tamquam idè antè victi fuissent, quòd bellantibus, sibi Regis auspiciis defuissent. *Conserto itaque prælio (dicam verbis Justini) magna cæde Illyrius fudere, ostenderuntque hostibus suis, priore bello Regem Macedonibus, non virtutem defuisse.*

22 Cui exemplo, simile aliud de Eumene ægrotante, à suis lectica in prælium deducto, Plutarchus (t) enarrat, & post Aimonium (u) Franciscus Patricius (x), Clotharium Francorum Regem recens natum, Fredegundis matris ubera sugentem, ipsa hortante, in bello contra Childbertum in exercitus fronte delatum, & gloriosa obinde victoria potitum. Et in historia tripartita (y), de quodam Rege Angliæ refertur, quòd cum anno 467. contra Saxones, ipso graviter ægrotante, pugnandum esset, suosque ob id valdè animo consternatos audiret, semi mortuum se in prælium deferri jussit, insignique victoria potitus, Regium honorem saluti postponi debere jactavit.

23 Quod peculiari animadversione mihi dignum videtur, pro lege quadam (z) Nostri Alfonso X. quæ Reges bellis interesse debere decidit. *Escepto si acaciense, que el Rey non fuese en aquella batalla, por ser niño, ò por enfermedad manifesta que oviese, ò porque sus vasallos non se lo consintiesen por ninguna guisa, por guardarle de peligro.* Quo loci, ejusdem legis Glossographus (a), post Egesipum, coherentè iis, quæ jam diximus, adnotavit, *quòd licèt, intersit Regem adesse bello, ut eo presente pugnatorum audacia magis augeatur, non tamen certamini se facilliter ingerat, nam in milite unius sors est, in Imperatore periculum universorum.*

24 Quod & iterum Nos admonemus; nam licèt de Spartanis Herodotus (b) scribat, Reges eorum primos in expeditionibus, & postremos in reditu fuisse semper quidem rem magnam esse fatemur, & Reipublicæ periculosam, caput objectare periculis, quo salus omnium stat, aut cadit, temperamentumque fortitudinis in Principibus cupimus, & ut ita modum impetus teneant, ut nihil acrius, quàm consideratius prætentent. Nam sæpè honestæ rerum causæ temeritate nimia perniciosos exitus consequuntur. Undè meritò Alexander Magnus à Curtio (c), & aliis (d) notatur, dum se in Oxidracarum oppidum saltu coniecit, à quo multis vulneribus saucius, vix eripi potuit. Et Polienus (d) narrat, Clearchum Cyro consilium dedisse, ne ipse se in periculum offerret, sed inspectorem se pugnae gereret. Pugnantem enim, manibus nihil magnum effecturum, si verò quid damni acciperet, omnia relicturum iis, quos secum haberet.

25 Extatque, relictis aliis, nobilis Historia Maximi Nostri Regis, & Imperatoris Caroli V. qui, ut Jovius (e) refert, cum Tunetum obsidens, se primum scansioni urbis offerre pararet, ab Alfonso Vastio, penes quem ejus factionis militare imperium esse voluerat, ad mediam aciem, ubi erant vexilla, retrocedere jussus fuit, ne fortuito incidentis pilæ casu, ipsius salus, ex qua om-

(o) Canon. in aphor. Pol. 1. tom. pag. 275.

(p) Boecl. in trad. de ausp. Reg.

(q) Tacit. 15. ann. quem illustrat latè Jan. Gruterus.

(r) Stob. serm. 146.

(s) Boecl. sup. pag. 30. ex Justin. lib. 7. cap. 2.

(t) Plutarch. in Eumene.

(u) Aymon. de gest. Franc. cap. 32. Emil. lib. 3.

(x) Patric. de Repub. lib. 9. tit. 2. pag. 570.

(y) Tripart. 3. part. lib. 5. cap. 8. pag. 672.

(z) L. 6. tit. 19. part. 2.

(a) Gregor. Lop. dist. leg. verb. Non fuese.

(b) Herod. lib. 6.

(c) Curt. lib. 9. cap. 10.

(d) Arrian. lib. 12. Plutarch. in Alex. Diodor. pag. 566.

Galternus, qui hanc historiam heroico Carmine prosequitur. apud Rader. pag. 592.

(e) Polien. lib. 2.

omnium fortuna pendebat, inexplabile discrimen subiret. Cui Cæsar paruit, confestim se ad signa recipiens, & ne id timeret, subdens, *Quando Augustorum Cæsarum nemo unquam tormenti violentia concidisset, & adjicere potuit illud Sallustii (g), In bello, quòd sibi quisque minus parcat: tanto magis tutus est, & Quinti Curtii (h), sub persona Alexandri dicentis, & docentis, plures Reges à suis domibus, quàm in bello ab hostibus interemptos.*

26 Pluraque alia, quæ in hanc rem congerere poteram, silentio prætereo lectorem tamen admonens, ut ubi hæc quæstio, occasione oblata, rerumque & temporum serie exigente, agitanda fuerit, præclaras duas orationes præ oculis habeat, quæ de eadem, ad utramque partem, apud Nostrum Joannem Marianam (i) habentur, dum memorat, qualiter de ea disceptatum fuit, tempore D. Ferdinandi V. Regis Catholici, dum, an ipsum in Italiam trajicere oporteret, ad Neapolitanum bellum conficiendum, consulebatur. Ubi, licèt negantem opinionem prævaluisse recenseat, plerisque tamen magis placuisse inquit, liberam cujusdam Episcopi consultationem, qui vivis rationibus, *Regum præcipuum munus in bellis ducendis consistere peroravit, difficultatesque & pericula, quæ ex adverso objiciebantur, sperni debere, cum nihil pulchrum, vel arduum natura bis care voluerit. Commodius bella à Regibus, quàm à Ducibus (sint illi quicumque) geri. Regem ad bellum euntem, cives quoslibet, summos, medios, infimos comitari. Pecuniam in stipendium, bellicos commeatu, ac cetera necessaria, Rege presente promptius expediri. Enatis difficultatibus facilius, ac prudentius occurrì. Benevolentiam, & ardorem militum sub Regis oculis potentius conciliari, & influmari. Hac via Romanos, eadem egregios alios Reges, & Imperatores sibi gloriam parasse, orbique Imperii jugum impossuisse, quòd haud quaquam consequerentur, si domi, deliciis indulgentes, res bellicas per vicarios administrassent. Quòd si durum tamen videretur, Regem interesse bello, incerta prætorum sorti caput, & salutem objicere, proximum saltem bello locum iucubare debere, ex quo, Regio aspectu, gentem recreare, & belli apparatus diligentius disponere posset.*

27 Quæ sanè rationes eadem propè sunt, ac illæ, quas in hac commentatione retulimus, & similem consultationem, & resolutionem sub Prudentissimo Nostro Regi Philippo II. ubi se ad Lusitani Regni expugnationem accinxit, Connestagius (k), & Cabrera (l) latè commemorant, eandemque modo gloriosissimum Regem Nostrum Philippum IV. quem Deus perennet, sequutum vidimus, dum ad Cataloniæ expeditiones, & debellationes nunc Cæsaraugustæ, nunc apud Fragam, vel Leriadam, ut occasio postulat, commoratur, & calor sui effectus præstantissimos experitur.



(f) Jovius lib. 34. histor.

(g) Sallust. in Jugurt.

(h) Curt. lib. 9. cap. 12.

Bbbb2


EM-

(i) Mariana de rebus Hispan. lib. 27. cap. 15.

(k) Connest. de obt. Portug. lib. 5.

(l) Cabrera in histor. Philip. II. lib. 12. part. 1098.

EMBLEMA XCIII.
PARCERE SUBJECTIS.



Cernis, ut Hellei rutillet nitor aureus agni,
Ut comes horrisono fulgeret ore leo?
Sic est. Audaces contundere, parcere victis,
Hæc sunt quæ Regum pectora signa decet.

COMMENTARIUS.

Pæclarè mihi dixisse videtur Thucydides (a), dum modestiam constituit, in bellis non inferendis, ubi nulla injuria afficimur, justitiam, in eis paci anteferendis, cum injuria afficimur: hac autem repressa, post bellum pacem faciendam esse, nec aut successu in bellis elatos plures appetere, nec pati injurias mollitie, & amore ocii. Nam cum bella, ut diximus (b), eò dirigi debeant, ut in Pace esse possimus, qui hanc, superato jam adversario, consequi potest, quidquid ulterius in eum sævierit, à justo, licito, & necessario, in injustum, crudele, voluntariumque deflectet.

2 Quod in cujuslibet, etiam hostis, cæde, vitari debere, satis indicavit Cyrus, Chrysantam collaudans, quòd hostem interfectorus, jam elatum in cædem gladium revocasset. Eo quòd receptui canere audisset. Et Romani, caventes, ne vel ipsum hostem alii lacesserent, quàm qui Sacramento tenerentur, sic, ut Rhodiginus (c) tradit, præmonstrare volentes, ne hostem, quidem interfici oportere, ni summa, & ea legitima, necessitas adigat.

3 Idemque ipsum sentiens Agesilaus, hoc potissimum Principibus ediscendum docebat, Imperatoris officium esse, erga rebellantes, audacia, erga subjectos, benevolentia uti, quod referens Plutarchus (d), addit, Neque enim verè victor est, qui iracundiæ, vindictam flagitanti, frenum nescit imponere, & egregiè Timoleon, apud Æmilium Probum (e), eam ducendam esse præclaram victoriam prædicabat, ex qua plus sit clementiæ, quàm crudelitatis, sic indicans, clementiam propriam victoris virtutem esse debere, fallique, & errare graviter eos, qui, ut cum Seneca (f) loquar, Potentiam putant, in exitia gentium serpere, & injicere testis ignem, aratrum vetustis urbibus inducere. Felicitas illa, multis salutem dare, & ad vitam ab ipsa morte revocare, & mereri clementiam civicam. Nullum ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusque est, quàm illa Corona ob cives servatos. Non hostilia arma detracta victis, non currus Barbarorum sanguine cruenti, non parva bello spolia. Hæc divina potentia est, gregatim ac publicè servare: multos autem occidere, & indiscretos, incendii, ac ruinae potentia est.

Hoc-

(a) Thucid. lib. 1.

(b) Sup. Emb.

(c) Rhodig. lib. 11. cap. 18. Ego de Parric. lib. 2. capite 2. pag. 110.

(d) Plut. in apoph. Arcefil.

(e) Æmil. Prob. in Timol.

(f) Senec. lib. 1. de clement. cap. ultim.

4 Hocque adèd verum est, ut ipsi etiam Romani, alioqui bellicosissimi, & quorum avditati totus orbis sufficiens non videbatur, hanc sibi artem, hocve Economium, Parendi subjectis, præ aliis omnibus usurpaverint, & in maximam suam laudem cedere duxerint, ut de eis prædicat Poeta (g) dum dixit.

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, viros ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius: cælique meatus
Describent radio, & surgentia Sydera dicent:
Tu Regere Imperio populos Romane memento;
He tibi erunt artes, Pacique imponere nomen,
Parcere subjectis, & debellare superbos.

5 Quo & alludens Sulpicia illa, quæ Domitiani temporibus floruit, in suo Satyrico dixit

Duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput, virtus Belli, & sapientia Pacis,

Et apud Livium (h), legati Carthaginenses, de eadem populo Romano loquentes, Plus parcendo victis, quàm vincendo, imperium auxisse. Propertius (i) quoque, eandem in eisdem Romanis virtutem commendans, sic canit.

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat illa manus,

Sic enim legendum est, non Ira, ut in vulgatis codicibus, sicuti docti ejusdem Propertii Commentatores advertunt.

6 Et testante Plinio (k), hæc eadem virtus effecit, ut Posthumius Tubertus, qui de Sabinis triumphans, primus omnium ovans urbem ingressus est, quoniam rem leniter, sine cruore gesserat, myrto victricis Veneris coronatus incideret. Cajus quoque Cesar apud Senecam (l) commendatur, quòd bellum, aliorum pace mollius, gessisset, & à Cicerone (m), quòd in ejus victoriis, nemo nisi armatus occiderit: illasque prætorum exitu terminaverit, & quos cives necavit, eos vis Martis percudit, non ira victoris. Et de ejus successore Augusto, idem prædica Horatius (n), sic inquit.

Imperat, bellans prior, jacentem
Lenis in hostem.

Quo significare voluit, illum superiorem pugnacissimis fuisse, & lenem in humiles, & jacentes. Trajanus quoque de se ipso, in sermone Cesarum, ita dixit, Subjectis mansuetus, hostibus formidolosus præ ceteris exiti.

7 Quod altiores, etiam radices habere videtur: nam Romani, originis, & imperii sui primordia ad Venerem referebant. Unde, & hanc præcipuis honoribus prosequerantur, & Victricis nomine colere gaudebant; peculiaribusque numismatibus sub hoc titulo ornabant, quoties ita bellum contigerat, ut insani Martis furores, ejus interventione lenirentur, quod se maximè semper optare significabant. Eaque propter Rutilius Numatianus (o) vir Consularis, in suo Itinerario, sic Romam affatur.

Auctores generis Venerem Martemque fatemur,
Æneadum Matrem, Romulidamque Patrem.
Mitigat armata victrix clementia vires:
Convenit in mores nomen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendique voluptas,
Quos timuit, superat, quos superavit, amat.

8 Et à Tacito (p), & Curtio (q) Romana clementia. Romana Mansuetudo, qua si propria, & peculiaris virtus, ipsorum Romanorum indigeratur, eademque eximium Deorum munus esse Seneca (r) inquit, & valde ad rem de qua agimus subjicit, ea animosè uti debere, qui dandæ auferendique vitam potens est, in his præsertim, quos scit suo fastigio aliquando obtulisse, & vel solo hoc arbitrio ultionem implese, perfecisseque quantum veræ pœnæ satis erat. Perdidi enim vitam, qui dedit: & quisquis ex alto ad inimici pedes abjectus, alienam de capite suo Regiamque sententiam expectavit, in servatoris sui gloriam vivit, plusque ejus nomini conferre iaculomis, quàm si ex oculis ablatus esset. Assiduum enim spectaculum alienæ virtutis est, in triumpho citò transisset. Si verò Regnum quoque suum tuto relinquit apud eum potuit, reponique eo

(g) Virg. 6. Æneid.

(h) Livius lib. 30.

(i) Prop. lib. 3. eleg. 21.

(k) Plin. lib. 15. cap. 29.

(l) Senec. lib. de Clement.

(m) Cicero. pro sig. & pro Marcello.

(n) Horat. in Carn. secul.

(o) Numatian. in Itinerario.

(p) Tacit. 4. an.

(q) Curt. lib. 4. cap. 1.

(r) Senec. de clement. lib. 1. cap. 21.

unde deciderat, ingenti incremento surgit laus ejus, qui contentus fuit ex Rege victo, nihil præter gloriam querere. Quod etiam in causa fuisse, cur Romani spolia hostium, templis dicata, non renovarent, Plutarchus (s) scribit, hanc rationem inter alias adducens. Quod licitum illis visum non fuisset, memoriam contentionum cum hostibus jam victis renovare.

9 Hanc porrò virtutem, quam in omnibus Regibus eminere cupimus, eisdem insinuare, præsentis Emblematis inspectione conamur, ex ipsis nostrorum Hispano Austriaco Regum insignibus, stemmatibusque deprompti. Qui, & si vetus aliorum mos fuerit, suis in clypeis, ad suam potentiam, vel ferociam denotandam, dracones, leones, tygres, ursos, aquilas, & quævis alia terrifica animalia depingere, ut de scuto Agamenonis post Homerum tradit Alciasius (t), & vel de illo Palladis, Ægida vocato, magnus vates (u), his verbis.

*Ægidaque horrificam turbatæ Palladis arma,
Certatim serpentum squamis auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore Divæ,
Gorgoniam, desecto vertentem lumina collo.*

Ipsi tamen, Torque, ut vides, aureo, scintillantibus silicibus compacto, ex quo Aureus Agnus dependet, suum leonem circumdat.

10 Hac conjunctione (ut credibile est, & jam alii (x) subolfecerunt) veluti designantes, suis se hostibus duris, & rebellibus, bella, unguis, flammisque comminari, simul autem in Agno, mansuetudinem, & placabilitatem, quam præ se ferre in eisdem, etiam justo bello subactos, si respuerint, in votis, & animis habent. Et, ut omnes sciant desiderantes, sibi, non minus, quàm Romanis, illud elogium convenire.

Parcere subjectis, & debellare superbos.

11 Verosque, & legitimos hæredes successoresque esse, non solum statuum, & ditionum, sed & mansuetudinis, & benignitatis Magni, illius quondam Herois Philippi, cognomento, *Boni*, Ducis Burgundiæ, & imperii Belgici Conditoris, qui ut *Cominæus* (y), *Hervetus* (z), *Miræus* (u), & alii plures scribunt, equestrem militarem Ordinem, sub nomine, & insigni *bujus Auræ Velleris* instituit anno 1439 ad vellus illud aliud Gedeonis respiciens, de quo Sacra Pagina (b) meminit, ut piè Saavedra (c) Noster contendit, vel ut ceteri Auctores communius existimant, ad fabulosum Colchide absconditum, circa Pontum Helleum, quod Jason, & socii ejus *Argonautæ* dicti, post varios labores, navigationesque repererunt, de quibus eleganti carmine Valerius Flaccus scripsit, & veluti in vaticinium, quod gloriosissimi Reges Nostri, tanti Ducis progenies, & posthuma proles, velut novi Jasones, superato invictis classibus Oceano, ditissimas Novi Orbis Regiones detecturi, & subacturi essent, unde non unicum, & tantopere à Præcis expetitur, deauratum vellus reportaretur; sed quotannis inexhaustæ opulentæ thesauri in Iberiam adveherentur, juxta illud Virgilii (d).

*Alter erit tunc Typhis, & altera que vebat Argos
Delectos Heroas.*

Et Senecæ Tragicæ (e).

*Venient annis
Secula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus. Typhisque novos
Detegat orbis, nec sit terris
Ultima Thule.*

12 Quod vaticinium Joannis Ovenus (f) Anglus hoc elegantissimo Epigrammate clausit, valde ad rem nostram accommodato.

*Dux Burgundorum, vetus ut fert fama, Philippus,
Ordinis Aurati velleris Auctor erat,
Auriferos cujus nunc hæres possidet Indos:
Non igitur fuit hic Ordo, sed Angurium.*

13 Et non minus dissertè Joannes Jacobus Chiffletius Eques, Regis Nostri, ac Serenissimi Principis Ferdinandi Archiatrus, qui connumeratis ducibus, qui in detectione, & subjectione Orbis Novi emicuerunt, sic dixit.

*Ecce alios Proceres: en altera que vebit Argo
Heroas, gentis sydera clara suæ,*

Quis

(s) Plutarc. in quest. Rom. quart. 36.

(t) Alcias. Emb. 57.

(u) Virgil. 8. Æneid.

(s) Caramuel. de insign. Hispan. pag. 85. & 233.

(y) Comin. lib. 7.

(z) Hervet. lib. 4. rer. Burgund.

(a) Minzus de ord. equest. pag. 134.

(b) Jud. 6. 37.

(c) Saaved. Emp. 35. pag. 259.

(d) Virgil. Elog. 4.

(e) Senec. in Medea act. 2. vers. 274.

(f) Oven. lib. 2. Epig. 64. pag. 39.

*Quis ducibus subnixæ domus Burgunda superbas
Orbe novo domito, retulit exubias.*

14 Quibus addere licet, non solum in Agno, verum & in Leone, eandem lenitudinem, & clementiam in humiles, & prostratos significari: nam ut eo Plinius (g), & alii passim scribunt. Illi tantum ex feris clementia in supplices, prostratis parcit, & ubi sevit, in viros prius quàm in feminas fremit: in infantes non nisi magna fame. Unde Lucanus nobilem leonis iram appellat, & elegantissimè, & prudentissimè Seneca (h), ad leniendos Regum animos in jam victos, & debellatos (circa quod noster etiam sermo versatur) eadem leonis similitudine utitur, iniquiens. Ferarum nec generosarum quidem præmordere, & urgere projectos. Elephantes leonesque transeunt quem impulerunt; ignobilis bestie pertinacia est: non decet Regem sæva, nec inexorabilis ira, & Heliodorus (i) supplices hostes, hanc clementiam, vel ab invitis extorquere, sic ait. Indicit enim quodammodo, & imperat præstantibus viris clementiam subjectus hostis.

15 Et pariter Ovidius (k), dum intendit probare, quò quis nobilior est, eo clementiorem, mansuetiorem, & placabiliorem in victos, imbelles, prostratosque, aut profligatos inimicos esse debere; ita ut secundum Tiraquellum (l), non aliunde magis, quàm ex hac virtute nobilitas hominum cognoscatur, aut ex contraria natura ignobilitas. Ovidii carmina hæc sunt.

*Quò quisque est major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostasse leoni,
Pugna suum finem, cum cadit hostis, habet.
At lupus, & turpes instat morientibus ursi,
Et quecumque minor nobilitate fera est.*

16 Ovidio similis Claudianus (m), eodem leonis exemplo utens, postquam clementiæ laudem, & præstantiam exposuit, hanc in Stiliconis pectore sedem posuisse, hosque qui sequuntur effectus producere, ei leniçans, dixit.

*Hæc docet ut pænis hominum, vel sanguine pasci
Turpe ferunq; putes: ut ferrum Marte cruentum,
Sic cum pace premas, ut non infensus alendis
Materiam præstes odiis: ut sontibus ultrò
Ignovisse velis, deponas ocius iram,
Quam moveas; precibus nunquam implacabilis obstes,
Obvicia prostermas, prostrataque more leonum
Despicias, alacres ardent qui frangere tauros,
Transiliunt prædas humiles. Hæc ipsa magistra
Das veniam victis: hæc exhortante calores
Florificos, & que nunquam nocitura timentur
Jurgia, contentus solo terrore, coerces.*

Ex quibus noster D. Sebastianus de Covarruvias (n) hoc Emblema deduxit, cum lemmate, satis est prostrasse.

*El Leon generoso nunca dañã
Al hombre que en el suelo se ha tendido
I ansi usa con el de aquesta maña
Quien por pies escaparse no ha podido.
El fuerte vencedor pierde su saña,
Si se dà su enemigo por vencido,
I el perdonar aumenta fama, i gloria,
I hace ilustre, i clara la victoria.*

17 Quæ quidem omnia satis nostri Emblematis proprietatem, & moniti, quò dirigitur, veritatem ostendunt. Quam ipse idem Claudianus (o) non minori elegantiâ prosequitur, Honorii Imperatoris Patrem, ob hanc parcendi hostibus virtutem, ita collaudans.

*Non insultari jacenti
Malebat, mitis precibus, pietatis abundans,
Pæne parcus erat: paci non intulit iram
Post acies, odiis idem qui terminus armis,
Profuit hoc vincente capi, multosque subactos
Aspera laturæ commendavere catene.*

As-

(g) Plin. lib. 8. cap. 16.

(h) Senec. lib. 1. de clement.

(i) Heliodor. lib. 9. Ætiop. hist. Æth.

(k) Ovid. lib. 3. de trist. eleg. 5.

(l) Tiraq. de nobil. cap. 37. num. 127.

(m) Claud. lib. 2. de laud. Stilicon.

(n) D. Seb. Covar. cent. 1. Emb. 99.

(o) Idem Claud. in 4. consil. Honorii.

18 Et Propertius (p) de Augusto Casare, qui debellato Antonio, & Cleopatra, bello finem imposuit, & arma recondidit, & Jani templum clausit, pace terra, marique parata, sic inquit.

Casaris hæc virtus, & gloria Casaris hæc est,
Illa, qua vicit, condidit arma manu.

Et Statius (q) generaliter monens.

—Si decedit hostis,
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.

Cui illud Taciti (r) adstipulatur, Quanta per vicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. Et Cassiodori (s), qui postquam Theodoricum Regem induxit, Francorum Regi de victoria gratulantem, eundem eidem sic, ut ea moderatè utatur suadentem proponit. In talibus causis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella proveniunt, quæ moderato fine peracta sunt. Is enim vincit assidue, qui novit omnia temperare: dum jucunda prosperitas illis potius blanditur, qui austeritate nimia, non rigescunt, &c.

19 Et enim sæpè victoria Fortunæ potius munus, quam virtutis, aut sapientiæ, ea verò moderatè temperanterque uti, non nisi ex propria virtute, ac sapientia procedit. Idèque Seneca Tragicus (t) dixit.

Noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.

Et Divus Valerianus (u), Ultra felicitatem esse victorie inimicum salvum fecisse, & injuriam vindicasse, nescireque sine dubio irasci, qui dubitat misereri. Meritòque Ælianus (x) Philippum Madonem laudat, quod cum in Charonea fudisset Athenienses, licet fortuna evecus, tamen appetitum ratione subdidit, neque contumeliosè, aut intemperanter aliquid fecit.

20 Et pari commendatione à variis Auctoribus (y) donatur Alexander, ejusdem Philippi filius, quod se, cum devictis Dario, & Poro, humaniter habuit, Cyrus quod superatum Cræsum clementer tractavit, Paulus Æmilii, quod Persem benignè suscepit, & Aurelianus, qui, narrante Vopisco (z), cum urbem Tyrum obsideret, juravit, necanem quidem militares gladios evasurum, si urbem expugnaret: illa autem capta, cum ad crudelitatem improbi exacerent, canes ad unum mactari jussit, & ita jusjurandum exsolvit.

21 Nazarius (a) etiam Constantini Magni mansuetudinem prædicat, quod Victoriæ licentiam sine prælii terminavit. Gladios, ne in eorum quidem sanguine dstringi passus est, quos ad supplicia poscebat. Et de Constantio tradit Sigonius (b), quod magna strage victo ad Mersam Pannoniæ Magnenti tyrano, & xxxm. cæsis, cum prima luce, tumulo conscenso, subjectam planitiem, & præter fluentem amnem refertum cadaveribus conspexisset, illacrymavit, non tam victoriæ lætitia, quam cæsorum dolore permotus: atque universos sine discrimine sepeliri, qui verò spirabant, curari præcepit. Et Magnus Theodosius eximie à Divo Ambrosio (c), Augustino (d), & Baronio (e) ob eandem virtutem extollitur, qua ita eminuit, ut in neminem post victorias, privatas inimicitias valere permisisset, & Pacatus (f) de eo hæc verba proferre potuerit. Victoriæ victor, omnem cum armis iram deposuisti, ut ceciderit nemo post bellum. Vide Imperator, quid hac clementia consequutus sis: fecisti, ut nemo sibi victus, te victore videatur. Quibus verbis similia sunt alia Cassiodori (g), qui sub Theodorici Regis persona sic habet. Aliorum fortè Regum prælia, captarum civitatum, aut prædas appetunt, aut ruinas: Nobis propositum est, Deo juvante, sic vincere, ut subjecti se dolent, nostrum dominum tardius acquisisse. Et Claudiani ab eadem virtute sic Honorii Patrem laudantis.

—Paci non intulit iram.
Post aciem, odiis idem qui terminus armis.

22 Alia quoque in eandem rem exempla copiosè Justus Lipsius (h) adducit, & præsertim illa Alfonsi Regis Aragonum I. cujus & facta, & dicta, secundum Bartholomæum Facium (i), & Antonium Panormitanum (k), eò præcipuè tendebant, ut doceret, Victoriæ fortunæ munus esse, clementiam suam ipsius, qui clemens esse deberet. Itaque unumquemque malle ex clementia, quam ex victoriæ laudem adipisci. Nec se aliud data pacis pretium existimasse, quam hostes genibus advolutos, à se pacem petiisse, & se pacem dedisse. Præstantis Regis esse victis ignoscere, & sapientis, integræ, quam eversæ civitati dominari velle, pluresque se hujus benignitatis opinio-

(p) Propert. lib. 2. eleg. 16.

(q) Stat. lib. 8. Theb.

(r) Tacit. 12. an. relatus à Saaved. Emp. 96. pag. 708.

(s) Cassiodor. lib. 1. 2. epist. 41. quem etiam vide lib. 3.

epist. 43. in fine.

(t) Senec. in Troad.

(u) D. Valer. hom. 13. de bono pace.

(x) Ælian. de var. histor. lib. 8. cap. 15. Justin. lib. 7.

(y) Bayerlin. eos refert in Thear. verb. Crudelitas, pag. 122. Seonhorn. lib. 6. Pol. cap. 35. latè Camerarius

tom. 3. cap. 26.

(z) Vopisc. in Aurelia.

(a) Nazar. in Panegir. Const.

(b) Sigon. lib. 5. Imp. Occid.

(c) D. Amb. in orat. funeb. de Theod.

(d) D. August. lib. 5. de civit. Dei, cap. 26.

(e) Baron. an. 388. num. 65. & 66. & ann. 394. n. 18.

(f) Pacat. in Panegir. Theod.

(g) Cassiod. lib. 3. epist. 43.

(h) Lips. in mor. & exem. lib. 2. cap. 12.

(i) Facium lib. 4. & 7. histor.

(k) Panormit. de dict. & fact. Alf. lib. 1. cap. 28. lib. 3.

cap. 29. lib. 2. cap. 57.

none, potius quam armis in suam potestatem adduxisse, ut in Casetæ obsidione monstravit.

23 Quæ præclara axiomata suis notis illustrans Æneas Sylvius (l), addit, Federicum Imperatorem, victis in Hungaria Gunciensibus dixisse. Magnum actum est opus, nunc autem adjuv restat, ut scilicet vincamus nos metipsos, atque avaritiæ, & alciscendi cupiditati frænos imponamus. Et de Segismundo, quod objurgatus, cur fugatos hostes non insequeretur, & comprehensos occideret? Satis (inquit) vicit, qui hostes fugavit, Tibi utile videtur inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat: at ego, & inimicum occido, dum parco, & amicum facio dum extollo.

24 Sed quoniam omnia exempla, quæ se se ad hujus virtutis commendationem Nobis offerunt, recensere, nec licet, nec vacat, sufficiat pro multis inclitum Nostrum Casarem Carolum V. Principibus ceteris spectandum, & imitandum proponere, qui cum à nullo ferè, bello provocatus fuerit, quem non modò victum, sed, quod rarè legitur, etiam victum captivumque non viderit, eadem tamen felicitate, qua hostes suos in potestatem redegerat, ea clementia iis ignovit: ut in venia concessa Joanni Friderico Saxonie Duci à se debellato, & ad mortem damnato, ad suasionem Ducis Brandenburgici, Camerarius (m), post alios Auctores, recoluit, & potentius patentiusque, in dimittendo Francisco I. Christianissimo Galliarum Rege (n), postquam illum Madridii captivum deduxerat, licet non defuissent multi, qui contrarium suaderent, & in gloriam Hispaniæ cedere dicerent, ipsiusque Imperatoris æviternam memoriam, tanti Regis cineres intra ipsam manere, & honorificentissimo sepulchro reconditos posteris conspiciendos proponere. Quibus ipse constanter respondit, tanti facti memoriam, nullo temporis cursu posse deleri, sicut nec suæ, in eo laxando, clementiæ, & liberalitatis commendationem.

25 Quam agnoscens Jacobus Thuanus (o), Gallus licet Scriptor, huic pietati, & mansuetudini, quæ in hoc Principe semper enituit, omnia fermè, quæ bello, vel pace fecit, referri debere fateur. Et in eandem hoc nobile Epigramma Juliani in Flandria in adventum D. Philippi, ejus Filii, positum fuisse, ex Joanne Calveto Stella Camerarius (p) transcribit.

Quis te victorem dicat, qui vinceris ipse,
Invictus victo Cesar ab hoste tuo?
Si veniam victus petit hostis, protinus illi
Parcis, & errati te meminisse piget.
Non te hostis Cesar, sed te clementia vincit,
Et ratio, cum sis victor, & ipse tui.
Vincere laus ingens hostes, & parcere victis,
Gloria sed se se vincere major erit.

26 Quod si iis exemplis illa Sacra Pagina (q) objecerit quispiam, quibus Gedeon, superatos Madianitas persequitur, & quinque Regum capita, non truncata solum, verum & pedibus populi calcari, leguntur, sciat id speciali Dei præcepto fuisse peractum, propter rationes quas hujus historiæ Expositores advertunt. Vel fortè tales hos fuisse hostes de quibus nihil melius in posterum, eis parcendo, consequi posset. Quo casu licitum & decens esse in illos sævire, Politici docent, quia secundum eorum Principem Tacitum (r). Is fovere bellum meritò creditur, qui hoste, quem semel delere potuit, sæpius velut à manibus admittit. Quod etiam Livius (s) his elegantissimis verbis edocuit. Sunt quippe belli, sicut pacis jura, & justum est bellum, & in bello vindicta, quibus necessaria: & pia arma, quibus nulla, nisi in armis relinquatur spes, qui enim eum potest belli semina non extinguit, rursus se in anceps ipsorum periculum revocat.

27 Idemque licere Guntherus (t) ostendit, quoties ablata sæpius hostibus venia, vel illam admittere nolunt, vel admissa abutuntur, & pejores evadunt, sic enim de Federico I. Imperatore adversus Ligures ob hanc causam sæviente, scriptum reliquit.

Tum verò, ut justam se se collegit in iram,
Regia Nobilitas, & tandem sæva coactus
Venit in arma furor: non jam servare laborat
Ingratos, veniamque ultra spernentibus offert:
Jam toties revocasse pudet, monituque salubri
Invitasse reos ad dulcia munera cives,
Ut leo qui dudum placido mansuoverat usu,
At si perstiterit damnatus, & improbus hostis
Involat, & laceros frangit crudeliter artus,
Sic suppressa diu generosi Principis ira
Exarsit, rapuitque novum meus alta furorem.

(l) Æneas Sylv. in notis ad Panorm. lib. 3. cap. 36.

(m) Camer. 3. sub cap. 26. ad finem Theran. lib. 3. par-

te 3. Strada lib. 1. belli Belg.

(n) Sandov. in hist. Carol. V. Ant. de Guevara in epist.

ubi Carol. Imper. hortat, ut secum Francisco benigniter ha-

beat.

(o) Thuan. lib. 21. hist.

(p) Camera. 1. success. cap. 79. pag. 364

(q) Jud. 7.

(r) Tacit. 4. an.

(s) Livius. lib. 5.

(t) Gunth. lib. 2. vers. 476. & seqq.